



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

§. IV. De Successione Collateralium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

fieri non censetur *cap. 27. de R. J. in 6.* aut quæ liberi parentibus ante, vel
 V. Bachov. ad Treutl. hic *thes. 4. lit. D.* postquam ad secundas nuptias transie-
 V. nisi liberi. II. In illis bonis, quæ runt, ex testamento reliquerunt, pro-
 conjux ad secunda vota transiens titu- prietatem non amittunt *Nov. 22. c. 46.*
 lo oneroso v. g. ex empto acquisivit, *Gail. lib. 2. observ. 98. Bachovius d. l.*

§. IV.

De Successione Collateralium.

SUMMARI A.

49. Deficientibus ascendentibus, & deficientibus veniunt collaterales, & qui-
 dem primo loco fratres Germani, exclusis fratribus ab uno tantum latere
 defuncto conjunctis. 50. Quid in statuto sorores à successione fratrum ex-
 cludente obtineat? 51. Eodem successione jure gaudent fratrum germano-
 rum filii, si cum fratribus germanis concurrant. 52. Si soli fratrum ger-
 manorum filii sint, iique numero inaequales, nihilominus in capita succedunt.
 53. 54. Duæ oppositiones solvuntur. 55. Limitatio nostræ Conclusionis sub-
 jungitur. 56. Fratribus germanis, eorumque filiis nullis extantibus veniunt
 consanguinei, & uterini cum exclusione patris, amite &c. nec non nepo-
 tum fratrum germanorum. 57. Nec habetur ratio bonorum paternorum,
 & maternorum. 58. 59. Opposita solvuntur. 60. 61. Fratrum natura-
 lium, & spuriorum successio regulatur. 62. Quid de fratrum adoptivo-
 rum, & arrogatorum successione jure cautam sit, explicatur. 63. Fratri-
 bus omnibus deficientibus successio defertur reliquis agnatis, & cognatis juxta
 gradus prerogativam. 64. 65. Quæ non ad decimum gradum est restricta,
 sed in infinitum se porrigit. 66. Satisfit Objectioni. 67. Bona damnato-
 rum in linea descendenti in infinitum, in collateralibus ad 3. gradum usque ad
 consanguineos devolvuntur subjuncta exceptione quoad hereticos, & lese
 Majestatis reos.

49 **C**ollaterales dicuntur illi, qui nec qui omnes alios ex transverso cogna-
 à defuncto geniti sunt, nec de- tos, ut & fratres, sororesque ab uno
 functus ab ipsis, ex eodem ta- tantum latere excludunt. *d. Nov. 118.*
 men sanguine utriusque descendunt. *cap. 3. auth. itaque C. commun. de suc-*
 Quod si igitur tam ascendentes, quam cess. sive deinde isti fratres germani
 descendentes deficiant, tertio loco, & sui fuerint, sive emancipati, sive legiti-
 ordine vocantur collaterales *Nov. 118.* me nati, sive per subsequens matrimo-
cap. 3. Auth. cessante C. de legitim. hæ- nium legitimi, quod etiam in fratri-
red. & primo quidem loco fratres & bus naturalibus tantum, & non legiti-
Schwestern von beyden Banden matis procedit, ut, si pater ex una con-
 cubina duos habeat filios, tertium ex
 alia

alia concubina, decedat autem filius secundus, huic ab intestato succedat frater ejus primus germanus excluso tertio consanguineo. Similiter & adoptivos excludunt, & hoc ideo, quod germani fratres duplici, hi vero tantum unico vinculo, eoque legali à parte patris contracto defuncto conjuncti sint.

50 Quodsi statutum extet, quo filius masculus foeminam, vel frater sororem excludat, defunctus autem habeat fratrem *consanguineum*, vel *uterinum* cum sorore *germana*, probabilius ista vi statuti à successione non excludetur. Forster *lib. 8. cap. 4. num. 3.* statuta enim intelligenda sunt, ut quam minime recedant à jure communi *arg. l. 2. C. de Nox. act.* sufficiens autem statuti hujus utilitas adhuc erit, si frater *germanus* sororem *germanam* excludat: ergo ad *consanguineum* vel *uterinum* extendendum non est.

51 Eodem successione jure gaudent fratrum germanorum filii si cum fratribus germanis concurrant, non quidem de jure antiquo, & jure Codicis, quo constat filios fratris prædefuncti per fratrem *germanum* fuisse exclusos *l. 4. in fin. C. de legitim. hered.* sed jure novissimo per *cit. Nov. 118. cap. 3. V. unde consequens*, ex ratione, quod filii repræsentent personam patris, & in ejus locum ingrediantur, ut subinde hi non minus, ac fratres germani non modo cæteros agnatos omnes, sed ipsos quoque fratres *consanguineos*, & *uterinos* excludant. *cit. Novell. cap. 3. Auth. cessante C. de legitim. hered.* Per hoc autem, quod veniant jure repræsentationis, insimul patet, eos in *stirpes* succedere. Quodsi ex una parte

foli fratrum germanorum filii existant, ex altera vero parte *patruus*, vel *amita*, *avunculus*, vel *matertera* defuncti, etsi non minus isti ac illi tertio gradu jungantur defuncto, filii tamen patruos, cæterosque agnatos, vel cognatos excludent *d. Novell. cap. 3. V. illud palam* quia scilicet successio magis descendit, quam ascendit, ut notat Gothofredus *ad auth. post fratres C. de legitim. hered. lit. G.*

Sed quid si soli diversorum fratrum filii supersistentes sint, iique numero inæquales, succedentne in *capita*, vel in *stirpes*? In *capita* succedere censeo cum Fachinao *lib. 6. cap. 3.* Mynsing. *cent. 3. observ. 94.* Covarruv. *de success. ab intestat. num. 8.* & Clariss. D.D. Peregrini *Inst. h. t. n. 15.* Et pro hac Sententia facit *l. 1. §. 2. ff. de suis & legitim.* ubi hæc formalia habentur. *Duos fratres habui, unus ex his unum filium, alius duos reliquit, hereditas mea in tres partes dividetur.* Idem eruitur ex *l. 1. §. fin. ff. si pars hered.* II. probatur ex *Nov. 118. cap. 3.* ibi: *Sed & ipsis fratrum filiis tunc hoc beneficium (repræsentationis) conferimus, quando cum propriis vocantur tuis*, id est, fratribus defuncti, sive suis patruis, ac amitibus; atqui in proposito casu non vocantur cum *tuis*, sed soli sunt, ergo non succedunt jure repræsentationis, adeoque non in *stirpes*, sed in *capita* per *cc. ll.* Confirmatur ex *ead. Nov. cap. 3. V. quandoquidem*: ubi fratris filiis privilegium repræsentationis datur, quando cum fratribus defuncti concurrunt: ergo hoc jus repræsentationis cessat, ubi fratres non concurrunt, & tunc statur juri antiquo, quo jam habuerunt jus succeden-

dendi in capita per supra allegatas LL. secus beneficium, quod illis Justinianus in *d. Nov.* conferre voluit in concursu cum fratribus, si etiam extenderetur ad casum, quo nulli fratres extant, & tamen successio fieri deberet in stirpes, & non in capita, ipsis potius noxium foret, quàm proficuum. Accedit denique clara ordinatio Caroli V. in R. I. de Anno 1529. quam Mynsingerus *d. observ. num. 4.* refert.

53 Objiciunt AA. I. per *d. Nov. 118. cap. 3.* filii fratrum excludunt patruos, vel amitas defuncti concurrentes non alia ratione, quam quod veniant jure repræsentationis, per quod in locum suorum parentum subintrant, & consequenter in gradu secundo censentur, cum alias æque ac dicti patrui tertio etiam gradu à defuncto distarent; atqui repræsentationi annexa est successio in stirpes: ergo. Ad hoc argumentum respondeo, falsum esse, quod fratrum filii excludant patruos, & amitas propter jus repræsentationis, sed ideo, quod etiam in linea collateralis hereditas facilius descendat in gradus inferiores, quàm superiores, per auth. in successione C. de suis & legitim. hered. ubi dicitur, quod sola naturali causa inspecta descendentes præferantur ascendentibus.

54 Objiciunt II. *d. Nov. 118. cap. 3. V. ultimum*, ubi expressè dicitur, si vero neque fratres, neque fratrum filios defunctus reliquerit, omnes deinceps à latere vocamus in capita, ergo filii fratrum nondum continentur inter vocatos in capita, sed succedent adhuc in stirpes. Resp. in hoc textu notanda esse illa duo vocabula, sicut diximus. Nam Justinianus prius loquebatur de

casu, quo defuncto vel fratres germani existunt, vel præter fratres etiam filii eorum, si vero, subjungit, nec fratres, nec cum fratribus etiam filii extant, tunc reliqui in capita vocantur, consequenter & soli fratrum filii concurrentes.

Conclusionem nostram hac limitatione restringimus, ut in casu, quo non quidem fratres germani, sed consanguinei, vel uterini concurrunt cum filiis fratrum germanorum, hi in stirpes, non in capita succedant, & hoc ideo, quod fratrum germanorum filii consanguineos aliter excludere non possint, nisi jure repræsentationis ob dupliciter vinculi, quia alias utpote gradu remotiores istis postponerentur. V. Fachinæum *l. cit.* P. Pirhing *h. t. num. 21.* Hæc de successione fratrum germanorum.

Quod si nec fratres germani, nec eorum filii adsint, via aperitur ad successione consanguineis, & uterinis, qui pariter alios conjunctos, puta, patruum, amitam, avunculum, materteram, quin & nepotes fratrum germanorum, in quibus jus repræsentationis jam expiravit, excludunt. Auth. post fratres C. de legitim. hered. Nov. 118. cap. 3. V. his autem non existentibus Forster *lib. 8. cap. 8. & 9.* Manz. in *d. epitom. dissert. 6. quest. 2.* quia nempe ejusmodi fratres defuncto magis conjuncti sunt, & successio descendit potius, quàm ascendit. Proinde & isti juxta prius dicta, si soli sint, succedent in capita. Manz. *d. l.*

Celebris hic quæstio occurrit, an in successione simultanea fratrum consanguineorum, & uterinorum divisio bonorum facienda sit, ita, ut conian-

guinei in solis *paternis*, uterini vero in *maternis* succedant, num vero utrique sine discrimine bonorum succedant? Hoc posterius defendo cum Fachinæo *lib. 6. cap. 5.* Magnif. P. Schmier *lib. 3. tract. 4. part. 2. cap. 1. num. 29.* Clar. P. Böckh *in Comment. ad h. t. num. 26.* Clariff. D. D. Franz, & Peregrini *ad h. t. Inst. num. 17.* & Haunold. *num. 515.* & *seqq.* contra Molinam, Lugonem, Stryckium & alios. Probatur ex *Novell. 118. princ.* ubi Justinianus circa successiones ab intestato, cassatis prioribus legibus, ne posthac litibus forent obnoxie, jus novum, & liquidum se constituturum promittit; atqui si divisio bonorum foret facienda, litibus non satis cavisset, cum computus, & distinctio horum bonorum difficulter fieri possit. Deinde existentibus fratribus *germanis*, aut eorum filiis, fratres *consanguineos* & *uterinos* penitus excludit, at qui excludi potuissent, si illi in bonis *paternis*, hi in *maternis* jus aliquod speciale haberent? Præterea non existentibus *germanis* primum vocat *consanguineos*, & *uterinos* sine distinctione bonorum, in qua successio fieri debeat, ergo nec nos distinguere debemus, præsertim, quod tali modo vocatio alterutris successione facile frustranea redderetur, si nimirum defunctus vel sola bona *paterna*, vel sola *materna* habuisset.

§8 Objiciunt I. *l. 13. §. 2. C. de legitim. hered.* uti sine dicitur: *exceptis maternis rebus, in quibus, si ex eadem matre fratres, vel sorores sint, eos solos vocari oportet:* ergo in successione fratrum *consanguineorum*, & *uterinorum* habenda est ratio bonorum. Ad hunc textum respondeo, eum per *No-*

vell. 118. esse abrogatum, aliter respondet Fachinæus.

Objiciunt II. Vota parentum eo collimant, ut bona sua potius ad suos descendentes quàm ad alios veniant: ergo etiam hoc erit votum parentum, ut bona *paterna* ad *consanguineos*, *materna* vero ad *uterinos* devolvantur. Resp. I. in hac successione non præcise attendi ad votum parentum, sed ad ordinem juris; secus enim nepotes fratrum defuncti excluderent patruos, tanquam *descendentes* à patre defuncti, sive proavo suo, non autem patrui. Deinde saltem *uterini* in bonis *maternis* & *consanguinei* in bonis *paternis* cum *germanis* vocandi fuissent, imò fratres *germani* præferendi essent sororibus *germanis*, quia affectus parentum plerumque solet esse major erga filios, quàm filias propter conservationem familiae. Resp. II. distinguendo anteced. vota parentum sunt & c. nisi ex legis dispositione contraria tantundem, imò plus subinde advenire possit filiis vel *uterinis*, vel *consanguineis* concedo, secus nego. Atqui facile evenire potest, ut filii *uterini* succedentes æqualiter in omnibus bonis cum *consanguineis* plus acquirant, quam si in solis *maternis* succederent. Quodsi enim defunctus habuit pauca *materna*, plura vero *paterna*, vel vicissim: ergo antecedenter ad omnem casum non magis expedit filiis hæc divisio, quam conjunctio bonorum, & successio communis. Quod confirmatur ex *l. ult. C. de legitim. hered.* & *Nov. 118. cap. 5.* ubi fratres *consanguinei*, & *uterini* æqualiter vocantur ad tutelæ onus: ergo æqualiter quoque vocandi sunt ad successione honorem.

Quid

60 Quid jam de fratrum *naturalium* successione dicendum? Resp. I. fratres *consanguineos*, qui quidem ab eodem patre, sed ex diversis concubinis nati sunt, nullum jus succedendi habere, quia nec *agnati*, nec *cognati* invicem sunt. Non *agnati*, quia *agnatio* iustis nuptiis contrahitur §. 12. *Inst. de Nupt.* Non *cognati*, quia *cognatio* per matrem contrahitur, quam cum diversam habeant, successione jure gaudere nequeunt. §. 4. *Inst. de success. cognat.* Mich. Graßius *recept. Sentent. §. successio ab intestato quest. 34. n. 1.* Fratres vero *naturales uterinos*, sibi invicem succedere propter jus *cognationis*, quod ex una matre trahunt, quod eo quoque casu procedit, si aliqui eorum ex post legitimi fuerint. l. 2. §. 4. ff. *unde cognati.* Forster *lib. 8. c. 11. per tot.*

61 Quoad *spuriōs* eandem inter fratres successione admittimus, quia, cum ex eadem matre progeniti sint, jus *cognationis* consecuti sunt, nec interest, an mater *illustris* fuerit, nec ne, quia jus *Digestorum* nullum discrimen fecit inter *foeminam illustrem*, & non *illustrem*, sed *Justinianus* in *Codice* eatenus ad hanc qualitatem reflexit, ut *filium spurium* matri *illustri* succedere voluerit, quoad fratres autem nihil disposuit, unde hæc correctio ad fratres, & alios *conjunctos transversales* non est extendenda, eo, quod successiones potius *ampliare*, quam *restringere* conveniat. Clariss. D. D. Joann. Adam. Besnecker *tract. de success. ab intest. dissert. 5. §. 1. rubr. de fratr. natur. tant.* Fratres vero ex *damnato coitu* progeniti à successione omnino *repe- luntur*, quia nullum jus *consanguini-*

tatis habere intelliguntur. *Mynsing. cent. 3. observ. 91.*

De fratrum *adoptivorum* successione id juris est, ut adoptati ab *ascendentium* aliquo (idem de *arrogato*) eo, quod in ejus potestatem, & familiam transeat, ad successione admittantur etiam cum aliis fratribus ex *justo matrimonio susceptis* l. 2. §. 3. ff. *de suis & legitim. hered. l. 7. ff. ad SC. Tertull. l. penult. §. fin. C. de adopt. sed hoc ita, si durante adoptione successioni locus patuit, secus, si filius adoptatus prius emancipatus fuerit l. penult. in fin. C. de adopt. Deinde hoc obtinet tantum, si frater adoptatus cum *unilateralibus* concurrat, fratribus quippe *germanis* extantibus, cum hi ob *vinculi duplicitatem consanguineos* excludant, tanto magis excludunt *adoptivos*, utpote *legali*, non *naturali*, *vinculo tantum conjunctos*. Et denique, cum adoptio tantum tribuat jus *agnationis*, successio adoptati ad *cognatos* non porrigitur. Laudatus D. D. Bernecker *l. cit.* Adoptatus ab *extraneo*, cum in adoptantis potestatem, & familiam non transeat, jure quoque successione quoad *collaterales* non gaudet, sed hi invicem pro *extraneis* reputantur l. penult. §. 1. C. de adopt. Et quamvis patri ab *intestato* talis adoptatus succedat. §. 2. *Inst. de adopt. ad collaterales* tamen, cum *leges silent*, hoc beneficium extendere non oportet.*

Quodsi demum nec fratres *germani*, nec *consanguinei*, vel *uterini*, aut eorum filii existant, successio ad *reliquos agnatos*, & *cognatos* devolvitur secundum gradus *prærogativam*, & quidem in *capita*, sublato jure *representen-*

sentationis, & omni differentia superiorum, & inferiorum, collateralium, nec attenda duplicitate vinculi, vel diversitate bonorum *auth. post fratres C. de legitim. hered. Nov. 118. cap. 3. in fin.* Unde, si extet defuncti patruus magnus, sive avi frater, & ejusdem defuncti ex fratre nepos, ambo simul succedent, quia æquali gradu, quarto scilicet uterque defuncto conjuncti sunt sine distinctione bonorum. Sic & patruus cum avunculo indivisim in omnia bona defuncti succedet. Forster *lib. 8. cap. 9. Manz. dissert. 6. quest. 4.*

64 Sed ad quotum gradum hæc successio inter agnatos & cognatos durabit? Soarez in *thesaur. commun. opin. lit. C. num. 139.* Gail. *lib. 2. obs. 150.* Covarruv. in *epit. num. 11.* putant, usque ad decimum duntaxat gradum perdurare, rationem hanc assignant, quod de jure veteri cognati usque ad sextum, agnati vero usque ad decimum gradum successerint per *§. ult. Inst. de success. cognat.* cum ergo per *Nov. 118. agnati, & cognati* quoad successionem exæquati fuerint, utrique ad decimum gradum successionis jure gaudebunt, sed non ultra, ne aliàs successionis conjugum nullus unquam locus pateat, ut dicit AA. argumentantur.

65 Verum magis est, ut dicamus successionem agnatorum, & cognatorum nullo termino esse circumscriptam, sed in infinitum se porrigere, id quod colligitur ex indefinita locutione Justiniani in *d. Nov. 118.* ibi: *Omnes deinceps à latere cognatos &c.* Et quia Lex 12. *Tabul.* sine graduum determinatione proximo agnato hæreditatem detulit. Item in *§. 3. Inst. de legitim. agnat. suc-*

cess. & §. ult. Instit. de Servil. cognat. agnati dicuntur admitti, etsi longissimo gradu sint. Nec non JC. in *l. 2. §. 1. ff. de suis & legitim. hered.* agnatorum successionem dicit in infinitum se protendere, quod etiam Justinianus aliter non determinavit, sed potius confirmavit in *d. Nov. 118. cap. 3. §. si vero, & cap. 4.*

Ad *§. ult. Institut. de success. agnat.* 66 Resp. cum Bachovio ad *Treutl. thes. 5. lit. H.* ibi exempli duntaxat causa mentionem fieri decimi gradus, quia rarissime contingit, quod ulterius extent agnati defunctorum. Ad alterum reponitur, hoc ipso, quod rarissime ad decimum, ne dum ultra illum gradum agnati existant, ex hac præcisè causa conjuges à successionem non arceri.

Bona damnatorum, licet olim fisco 67 cesserint, hodie vero per *Auth. bona damnatorum C. de bon. præscript.* in linea collateralis ad 3. gradum inclusivè, in linea vero descendente in infinitum ad consanguineos transmittuntur, nisi ob crimen hæresis, vel læsæ Majestatis damnati fuerint. Wefenbec. in *paratitl. ff. de pæn. num. 9.* Schneidewin. *Inst. de primo ord. succed. num. 2.* pariter per *l. 2. Cod. de bonis eor. qui met. pæn.* bona illorum, qui metu pænæ mortem sibi intulerunt, fisco addicuntur, non vero eorum, qui ex mærote animi tantum, etsi ob crimen ultimo supplicio dignum in custodiam dati sint, & hoc posterius magis præsumitur favore propinquorum, consequenter alterum fisco probandum erit, quia non infrequens est, ob animi perturbationem ejusmodi captivos manus violentas sibi inferre. Schneidewin.

de success. fisci num. 15. & extat Constitutio Caroli V. art. 135. §. wo sich

aber ein Person ad quam videatur D.D. Blumlacher.

§. V.

De successione Conjugum, & Fisci.

SUMMARI A.

62. Pacta dotalia in successione conjugum præcipue spectanda sunt. 69. His deficientibus successio secundum jus commune regulatur. 70. Mulier inops cum liberis ad successionem mariti admittitur. 71. Idem obtinet in marito inope respectu uxoris divitis. 72. Deficientibus agnatis succedunt Collegia, quorum defunctus membrum fuit. 73. Antequam successio fisco deferatur, per publicum proclama hæredes legitimi vocandi sunt. 74. Successioni fiscali certa tempora sunt præfinita.

68 **C**irca successionem conjugum pacta potissimum dotalia, & locorum statuta attendenda sunt, non quidem, ubi matrimonium contractum, vel nuptiæ celebratæ, aut restitutio dotis promissa est, sed ubi maritus domicilium habet. *l. 65. ff. de jud.* sicut aliàs uxor forum mariti sequitur. Notat etiam Gail. *lib. 2. observ. 124. num. 1.* quod hæc statuta locorum circa bona extra territorium sita vim nullam habeant.

Quamquam vero mutua ejusmodi pacta successoria in præjudicium eorum, qui ad successionem à jure vocantur, non subsistant, iisque successiones nec auferri, nec dari valeant *l. 61. ff. de V.O. & l. 15. C. de Pact.* quia certi tantum modi de jure prodi sunt, quibus aliquis rerum suarum dominium post mortem transferre potest, inter quos pacta, & stipulationes non numerantur. Gail. *lib. 2. observ. 125.* Aliud tamen circa pacta dotalia moribus receptum est, præsertim si in præ-

sentia 5. testium facta fuerint, per quod speciem quandam ultimarum voluntatum induunt. *l. ult. Cod. de mort. caus. donat.* vel actis insinuata fuerint. Wesenb. *in addit. ad Schneidevv. tit. de success. vir. & uxor.* Requirit tamen aliqui, ut pacta hæc sint reciproca, ita, ut aliàs nequidem jurata valeant, nec statuto vel consuetudine firmari possint. *l. 5. C. de pact. conv.* quia reciprocatio horum pactorum tollit suspicionem & periculum desiderandæ mortis alterius. Gail. *d. l. observ. 126.*

Ubi vero similia pacta, aut statuta locorum specialia non habentur, tunc deficientibus omnibus descendenti- bus, ascendenti- bus, & collateralibus, succedunt sibi iavicem conjuges jure communi, eoque Prætorio in solidum *l. un. C. unde vir & uxor. l. un. ff. eod.* quamvis matrimonium ratum tantum, non vero consummatum fuerit, quia matrimonium non concubitus sed consensus facit. *l. 30. ff. de R. J. V. Emin. Petra tom. 1. pag. 492. num. 29.* fin autem